



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De nomine Officij & Horarum Canoniarum. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

# COMMENTARIA IN RVBRICAS BREVIARII ROMANI.

## SECTIO PRIM A.

### De Horis Canonicis in genere.



D pleniorē de Horis Canonicis tractationem, prænortanda putauimus ea breuissimè, quæ Theologi, Canonistæ, & Summistæ de Horis iisdem docuere, hoc est, de Nomine, Origine, Numero, Obligatione, Defectibus, & Pœnis ad Officium diuinum pertinentibus.

#### SECTIONIS PRIMÆ CAPITA SEX.

- |  |                                    |
|--|------------------------------------|
| 1 De nomine Officij & Horarum<br><i>Canonicalium.</i>  | 2 De mutatione Officij diuini.     |
| 2 De origine Officij diuini.                           | 3 De intentione diuini Officij.    |
| 3 De partibus diuini Officij, & Ho-<br>rarum numero.   | 4 De attentione diuini Officij.    |
| 4 De obligatione Officij diuini.                       | 5 De prolatione diuini Officij.    |
| 5 De defectibus in Officio diuino con-<br>tingentibus. | 6 De tempore Officij diuini.       |
| Tit. i. De omissione diuini Officij.                   | 7 De loco diuini Officij.          |
|  | 8 De ordine diuini Officij.        |
|  | 9 De interruptione diuini Officij. |
|  | 6 De pœnis circa diuinum Officium. |

#### De nomine Officij & Horarum   *Canonicalium.* CAP. I.

**O**fficium est quasi efficium, secundum Hieron. in lib. de Officijs; vnicuique enim conuenit sibi efficiere officium: vel,

secundum Isidorum, vt quisque illa agat, qua nulli officiant; vel, secundum eundem, est proprius, congruus actus cuiusque personæ secundum mores ciuitatis, vel institutæ professionis. Diuinum dicitur, quia est proprius actus eorum qui Deo sunt dicati.

A           2 Horæ  
A           2 Hora

2 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. II. & III.

2 *Horæ* dictæ sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse ac, ora, cum aspiratione, Deum. vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesiæ recitantur, *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quæst. 1.*

3 *Canonica* appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonico- rum Choro addictorum sunt preces, *Azor. vbi supra.* Alij, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem, quod probat *Steph. Duran. lib. 3. de Ritibus cap. 1.*

4 Hora Canonica dicebantur *Cursus* à *S. Germano Parisiensi Episcopo*, vt in eiusdem *Vita cap. 64. & 79.* scribit *Fortunatus Pictauiorum Episcopus*, contemporaneus eiusdem, apud *Sur. Tom. 3.*

De origine Officij diuini.

C A P. I I.

1 **A** Postoli ab Hebrais accepere horas orandi: & hora Tertia erant orantes in Pentecoste, *Act. 1.* Hora Sexta Petrus orabat, *Act. 10.* Ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus & Silas, *Act. 16.* quare easdem horas præscribere fidelibus, ex *Clem. lib. 8. Constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait *Manrolycus in Martyrolog. 27. Augusti*, neque Pelagius II. vt voluit *Polydor. Virgil. lib. 6. de Inuent. rerum cap. 2.* neque Damasus, ex *Pontificali cap. 39. in eius Vita*, dicendi sunt auctores, sed ij vel formulas Officij Decretis firmauerunt, vel ritus amplificauerunt.

2 Certè *Gelasius I.* & duo *Gregorij*, I. & VII. formulæ Officij, qua

nunc vtimur, dicuntur Constitutores & Reformatores à *Pio V. in Bulla sua initio Breuiarij edita*, & non alij.

3 Præterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam & Completorium vltimò fuisse additas, docet *Radolphus Tungrensis Prop. 14.* & nos dicemus, cum de singulis Horis agemus, *Sectione quarta.*

De partibus diuini Officij,  
& Horarum numero.

C A P. I I I.

1 **S**eptem horæ sunt, & octo, de quibus fortè mandatum accipis, vt des illis partem, *Ecc. 11.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. II. can. 59.* iuxta illud *Psal. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fuse Azor. cap. 1. quæst. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab *Esdra lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte & quater in die iussit laudari Deum. *lege Nanarr. de Orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, vt testatur *Amalar. in Prolog. de Ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet ex *Concil. Cabilon.* quamuis *Rabanus lib. 1. de Institut. Cler. cap. 3.* easdem numeret, incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias: sed hæc certè hoc ordine posito, spectarent potius ad sequentem quam ad præcedentem diem.

5 Non caret mysteriis hic numerus